



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.1. Historiæ Authores, causa cladis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

non tamen etiam saluabit te sine te. Tua vera confessio debet adesse, si vis diuinam potentiam & misericordiam tibi non desse.

## C A P V T VII.

RHEMENSIVM EXEM-  
PLO NOS INSTRVI, QVO MO-  
DO PRO PECCATIS NOSTRIS VEL  
SATISFACERE, VEL SATISFATI  
DEBEAMVS?

I.  
HISTO-  
RIAE AV-  
THORES,  
ET CAUS-  
A CLA-  
DIS.  
Oth. Fris.  
l. 4. c. 28.  
Sigebert.  
in Chron.  
An. 453.  
Nicol.  
Olaus in  
Attlia.  
Vinc.  
Spec. hi-  
stor. l. 21.  
cap. 37.

**H**istoriae, quam percensebo, com-  
plures meminerunt insignes aut-  
hores, Otho Frisingensis, Sige-  
bertus, Nicolaus Olaus, Vincentius, Pau-  
lus Diaconus, & alij. Circa annum Christi  
Seruatoris 453. cum Gallia maximè flo-  
reret, vitia quoque cum fortuna inualue-  
runt. Primùm auaritia, per varias inuen-  
tiones ac titulos, ingentes opes cumulauit.  
Postquam diuitiarum habuerunt satis, ne-  
que vlla fuit laborandi necessitas, otio se se  
dediderunt Galli: non iuuentus litteris,  
non adultiores negotijs se se occupauerunt,  
sed tota cura fuit in nouo vestium ornatu,  
nouisque delicijs excogitandis. Ageban-  
tur

tur

tur conuiuia, colebantur gynæcea, deserebantur templa; ventri, saturitati, voluptati passim seruebatur. Denique postquam in eo regno Superbia vitæ, & concupiscentia carnis dominatum tenuerunt, crescente semper malitia, peruentum est, vt S. Antoninus scribit, vsque ad Sodomiticam peruersitatem. Sole occumbente, nocti sua sidera accendit Deus. Ita tunc in Gallia, virtute obscurata, duo voluit esse præstantissima lumina, quæ populo viam salutis amissam demonstrarent. Quippe clarebant tunc in Gallijs S. Nicasius Rhemensis ciuitatis Episcopus ac postea martyr, itemque S. Anianus Aurelianensis Episcopus, magnis ambo virtutibus insignes. Hi duo, tamquam malarum ouium boni pastores, facile videbant contagium, neque tacebant, sed identidem clam, palàm, publicè & priuatim monebant omnes, vt à tam scelerata vita desisterent, atque ad Deum, per pœnitentiam redirent; neque fluxam hanc homineque Christiano indignam viuendi rationem, cælestibus anteferrent. Verùm quia difficile est assueta relinquere, & in media vanitate diuina æstimare, nihili tunc Gallia duorum tam illustrium Præsulum

Paul. Diac. lib. 14. in Theod. juniore, & 15. in Martia. Sur. tom. 7. 14. Decembr. ex S. Antonin. p. 27. c. 8. tit. xi. §. 1. & seqq.

lum

lum auctoritatem, nihili sanctitatem, nihili assidue iteratas monitiones faciebant. Nimirum ut dolium aqua plenum, non potest alium vllum admittere liquorem; quantumuis pretiosum; ita surdis canitur auribus, quas iam illecebræ turpes occupauerunt.

II.  
PRAEMONITIONES  
DIVINAE.

Sed mirum est, homines delicatos, alioqui tam sollicitos, ne quod conuiuium, ne quam choream, ne spectaculum vllum iucundum negligant, hinc obsurdescere; cum clamatur, periculum esse æternorum gaudiorum amittendorum. Neque verò ab hominibus dumtaxat clamatur, sed altissima vox est ipsa patientia, & longanimitas Dei, conuersionem peccatoris tam diu expectantis. Quo argumento vtitur Propheeta Ioël, dum ait: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, & patiens, & multa misericordie, & præstabilis super malitia.* Habebat mille irascendi & puniendi causas; & iram continuit, distulit pœnam. Immo in ipsa ira clementer cogitauit, iuxta illud: *cum iratus fueris, misericordia recordaberis.* Nam, ut olim Abrahamo cælare non potuit Deus id, quod facturus erat Sodomitis, dans occasionem

Ioël. 2. 13.

Habacuc.

3 3  
Gen. 18.

17.